

montes autem infra duodecim menses resp. omnino executioni demandetur.

Romae apud. S. Petrum die 27. Apr. 1643.

7) Versus ultimus.

Ad dubium: Tetamus dicit, illos Hymnos habere ultimum versum proprium, qui in fine non exprimunt

gloriam Trinitatis, aut praeter gloriam Trinitatis aliquid aliud exprimunt, uti Hymnus Matutini plurimorum Martyrum et Hymnus Vesperarum S. Crucis; estne attendenda haec opinio?

„In casu servandas peculiare Rubricas“.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad XI. die 16. Aprilis 1853.

J.

S. JACOBUS AP.

1) Patronus Regni.

Vd.: *Patronus Regni* (decr. n. 4507.)

2) Ritus festi.

In Ecclesia Turritana reducendum est festum s. Jacobi ap. a ritu dupl. 1. cl. cum octava ad ritum 2. cl. sine octava prout in Brev. rom. 25. Julii; item abrogandum pariter est festum translationis ejusdem ap. Die 30. Decb. n. 4351 ad 4 die 12. Sept. 1769.

JANSENIUS.

De Prohibitione libri „*Augustinus*“ superscripti

Vd.: *Breve Urbani VIII.* in Bullar. mag. rom. tom. V. p. 369 (edit. Luxemburg. 1727) die 6. Mart. 1641; et *Constitut. Innocent. X.* ibidem p. 486 pridie Cal. Junii 1653; et *Declaratio Alexd. VII.*, ibid. tom. VI. p. 46. Calend. Novemb. 1657; *Constitutio Alexand. VII.* quintodecimo Cal. Martii 1664, ibid. p. 211.

JANUA ECCLESIAE.

(*Exposito SSmo.*)

Vd.: *Instructio Clem. S. XXXIII.* n. 1 etc.

S. JANUARIUS.

1) Officium.

Cf.: *Patronus Regni; Festum* (Separatio.)

Ad dubium: An a Clero s. Marci Dioecesis Volturariensis recitari debeant duo Officia pro duobus *translationibus* Corpor. s. Januarii m., unum nempe dominica prima vel secunda Maji, alterum die vigesima tertia Octobris juxta concessionem factas, seu potius alterum ex illis? S. C. resp.: Teneri Clerum s. Marci ad recitationem utriusque Officii pro duplici distincta translatione Corp. s. Januarii m. juxta concessionem factas, neque ullo pacto posse sive ab uno sive ab altero abstinere. n. 4413 die 2. Aug. 1783.

Petit Clerus Balneariae Dioecesis Nullius sibi declarari: an celebrare teneatur Officium S. Januarii semel in mense diebus non impeditis in mensibus Sept., Dec. et Maji, in quibus mensibus celebratur de praecepto Officium dicti Sancti, nempe Natalis ejusdem in mense Septemb., Patrocini in mense Dec. et Translationis in mense Maji. Ratio dubitationis ex eo procedit, quod si in dictis tribus mensibus praeter Officia praedicta, celebretur

tur etiam Officium, ut in aliis mensibus, semel in mense, tunc non erit semel, sed bis in mense, in mensibus scilicet Sept., Dec. et Maji.

Et S. R. C. respondit:

Negative et servetur Decretum in Tarentina 5. Oct. 1679 et ita etc. n. 4516 ad 5 die 15. Sept. 1815.

Officium *translationis* s. Januarii, quod in Civitate et Dioecesi Neapolit. celebratur sub ritu dupl. maj. cum octava dominica 1. Maji vel 2., si prima fuerit Dominica in Albis, occurrens cum festo altioris ritus vel majoris dignitatis transferendum est a prima dominica Maji, ipsi tamquam propria die assignata, in primam diem non impeditam: *quoad octavam vero servantur rubricae.* n. 4091 ad 1 die 11. Julii 1739.

Officium *translationis* s. Januarii pro Clero Campiarum Dioecesis Licien., si occurrat cum die octava Dedicat. Ecclesiae, transferendum esse in primam diem non impeditam, *omissa octava.* n. 4097 die 28. Novb. 1739.

2) Patronus.

Ad dubium: An attento, quod S. M. Innocentius X. indulserit in toto Regno Neapolitano, tamquam de Protectore Regni, festum s. Dominici c. indici et celebrari, sit una simul in eodem regno continuandum praeceptum in festo s. Januarii, de quo, tamquam de Protectore Regni, hactenus festum celebrari consueverant? S. C. resp.: S. Januarium esse Protectorem civitatis Neapolitanae tantum et non totius Regni; idcirco de eo tamquam de Patrono Regni non licuisse nec licitum alibi festum celebrare. n. 1876 die 16. Mart. 1658.

Ad dubium: An de s. Januario e. m. et Patroni princip. civit. et regni Neap. debeat fieri *Off. de comm. un.*

m. vel potius unitum cum aliis sociis prout fieri consuevit?

Vd.: S. Eustachius.

JANUARIUS.

(*Mensis*)

Est dies 28. Januar. vacua pro festo ss. Nominis Jesu

Vd.: S. Meinradus (decr. n. 4043); *Festum ss. Nominis Jesu* (decr. n. 4299; 4581.)

S. IDELPHONSUS.

Vd.: *Desponsatio B. V. M.* (Off. et transl., decr. n. 3120.)

IDIOMA.

Vd.: *Lingua. Ritus graecus.*

JEJUNIUM.

1) Anticipandum.

Vd.: *Vigiliae festor. jejun.*; *Reductio festorum* (decr. n. 4551.)

2) Pro celeb. Missae.

Vd.: *Missae* (interrupta per mortem Sacerdotis). *De Jejun. graec. presbyt.* vd.: *Missae* (hora, decr. *Bened. XIV.*); *Jej. pro SSmo. sum.*

3) In Dedicat. Eccles.

Jejunium in Pontificali rom. praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari; idemque jejunium indicendum esse die praecedente Consecrationi ad formam rubricae Pontificalis. n. 4400 ad 1 die 29. Julii 1780.

Ad dubium: An hoc jejunium sit locale tantum an personale; seu potius locale et personale simul? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 4400 ad 2 die 29. Julii 1780.

CAMBERIEN.

Quum in Dioecesi Camberien. diversae circumferantur opiniones circa personas adactas servare jejunium in pervigilio dedicationis Ecclesiae, Rmus. Episc. Camberien. S. R. C. humillime rogavit, ut declarare dignaretur a quibus sit idem jejunium servandum?

Et Emi. ac Rmi. P. S. respondendum censuerunt:

„Missis opinionibus, servetur Decretum in Mechlinien. diei 19. Julii 1780 in quo haec habentur: Jejunium a Pontificali Rom. praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari. n. 4908. Die 12. Sept. 1840.

4) Publicatio per Campanas.

Vd.: *Campanae; Patronus civitatis.*

5) Quadagesimale et per Annum.

(*Dispensatio.*)

Benedictus PP. XIV.

Postquam SS. Pontifex Episcopos ad evellendas pravas consuetudines excitavit, pergat:

Debitum paternae uniuscujusque vestrum sedulitatis et caritatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, nemini quidem sine legitima causa et de utriusque medici consilio; multitudini vero, veluti populo aut civitati aut genti indiscriminatim integrae, non nisi gravissima et urgente necessitate et in casibus per s. Canonum statuta praescriptis, a quadr. jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit, concedendam nec superbe et arroganter ab Ecclesia, sicuti alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam.

Gravissimam vero urgentemque necessitatem, etsi non est cur Vobis

explicemus: nolumus tamen Vos ignorare, cum hujusmodi necessitate et servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romae ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes expresse praescribimus; et licitas atque interdictas Epulas promiscue minime apponendas esse.

Porro, quemadmodum de ejusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, Nos persuasum habemus, districtam supremo divino iudicio redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscujusque Vestrum onerandam esse ducimus . . .

Datum Romae die 30. Maji 1741.
(Bull. r. t. XVI. p. 31.)

Benedictus PP. XIV.

(*Una Comestio.*)

Factum esse accipimus, quod non defuerint, qui sibi aliisque persuadent, unicam potissimum comestionem servari atque epulas licitas et interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem non vero singulis ob legitimam causam et de utriusque medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos, quibuscunque, quacunque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgent. gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legit. causam et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa affectae multitudinis ratio intercedat et aliter fieri necessario exigat, in Quadrag. aliisque anni temporibus et diebus, quibus carni (ovorum et lacticiniorum) esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore prae-

sentium declaramus et edicimus; quemadmodum per singulas nostras literas Christifidelibus ob Corporis infirmitates in ss. Quadagesima aliisque jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse praescribimus ac praecipimus.

Datum Romae die 22. Aug. 1740.
(Bull. r. t. XVI. p. 40.)

Benedictus PP. XIV.

Nos in literis de jejunio eccles. definiendum non suscepimus, an, qui eccles. auctoritate ab jejunio exeant, non solum velitis cibis uti sed jussae pariter vespertinae abstinentiae fines egredi queant? Praecipimus autem Episcopis eorumque Delegatis, ut nemini vescendi carnis aliisque cibis velitis veniam tribuant, nisi sub gravi imperata simul unicae comestionis norma.

Datum Romae die 12. Maji 1742.
(Ibid. p. 92.)

Benedictus PP. XIV.

(*Dubia.*)

Ad dubium: 1. Utrum, quae in antedictis nostris literis in forma Brevis de unica comestione et de epulis non permiscendis praescribuntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur?

Resp.: Concedentes facultatem vescendi carnis tempore vetito sub gravi tenere easdem facultates non aliter dare quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet: *unicae in diem comestionis et non permiscendarum epularum.* Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, *sub gravi ad binas ipsas condiciones implendas obligari.*

2. An ii, quibus concessum est vesci carnis, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quae jejunantibus permittitur?

Decreta authentica.

Resp.: Non licere sed opus habere eo cibo eaque uti potione, quibus utuntur homines jejunantes rectae meticulousae conscientiae.

3. An, qui jejunii tempore vesci carnis permittuntur et unica comestione uti debent, horam jejunantibus praescriptam servare opus habeant?

Resp.: Observandum iis esse.

4. Quatenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis coniungi?

Resp.: Epulae licitae pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.

5. An praeceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque dominicos quadagesimales complectatur?

Resp.: Affirmative.

6. Utrum haec lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla *Cruciatae* edere possunt ova et lacticinia?

Resp.: Nihil in praenunciatis nostris ap. literis statutum esse, quod respiciat gratiosum *Cruciatae* Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendent ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.

7. Utrum memorata duo praecepta urgeant extra Quadagesimam?

Resp.: Urgere extra Quadages. utrumque praeceptum; illud scilicet unicae comestionis cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis; et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Constitut. Bened. XIV. 8. Jul. 1744
(Bull. r. t. XVI. p. 203.)

Vd.: *Sabb.* (Esus carniū.)

De jejunii disciplina conservanda vel reintegranda deque dispensationibus general. pro oppidis aut dioecesis integris non nisi certa ratione et justa de causa petendis et concedendis

Vd.: *Constitut. Bened. XIV. die 16. Jun. 1745.*

(Bull. r. t. XVI. p. 298.)

6) Pro SSmo. sumendo.

(Dispensatio.)

Benedictus PP. XIV.

Quadam de more tibi imperlita audientia detulisti ad Nos pium aequae religiosum votum Chariss. in Chr. Filii Nostri Jacobi III. Magnae Britaniae Regis, liceret ut sibi SSmum. sumere, etsi de media nocte antevertente diem, quo s. mysteriis participem se fieri cupit, quandoque ex aegra valetudine cibum aliquem sumere cogatur, quo vires reficiat, atque id quidem haud se facere paratum esse, nisi sui Confessarii consilium et approbatio accesserit.

Facilioris doctrinae Theologus responderet, nulla Regem indigere dispensatione, cum res sit de exiguo cibo necessitate cogente; non ex animi levitate sumpto, atque non minus in naturali jejuniō quam in ecclesiastico materiae, ut inquit, parvitas indulgeatur. Verum opinio isthaec, etsi a Pasqualigo propugnata, falsa est, veluti pluribus demonstrant *Suarez in 3. p. tom. III. qu. 80 art. 8. disp. 68. sect. 4. §. Dico secundo. Solmaticenses tom. I. curs. theolog. mor. tract. 4. c. 7. qu. 4. n. 66.* Eandemque refutavimus ipsi pro viribus ac facultate in *Tract. de Sacrif.*

Missae sect. 2. c. 4. §. 2. Alia itaque via insistendum est.

Primum, etsi peramabilis Redemptor Nost. s. sui Corporis communione participes fecerit apostolos non jejunos, cum tamen peculiaribus quibusdam gravioribusque de causis id praestiterit, haud tamen ademit ipse ecclesiae suae auctoritatem instituendi, prout re ipsa constituit, ne cui, Viatici aliisque paucis exceptis casibus, non jejuno et quidem a media superiori nocte communionem praecedente SSmum. administretur. Rem hanc tractat s. Augustinus *ep. 54. alias 118. ad Jan. c. 6.*, ubi, postquam retulit Christum Discipulis non jejunis Corpus suum ministrasse: *Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli Corpus et Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos*, ita scribit: *Numquid tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui s., ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani primum Dominicum Corpus intraret quam caeteri cibi.* Quod post s. Augustinum traditur quoque a Magistro Sententiarum in 4. Sent. dist. 8. et a s. Thoma 3. p. Quaest. 80. art. 8. Suntque in hoc ipsum gravia et momentosa verba *Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum c. 65.*

Alterum, cum generali lege caveatur, ut non nisi jejuno universim s. ministretur Communio, quam ipsam legem innuit quoque Synodus Constantiensis *sess. 13.*, ubi haec leguntur: *Hujusmodi SSmum. non debet confici post coenam neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concessa vel admissa*, ut alicui expressis casibus non comprehenso liceat, etsi non jejuno, s. participare mysteria, necesse erit, eundem expressa dispensatione juvari,

quae porro dispensatio a Nemine praeter Rom. Pontificem potest indulgeri. At solide luetur Henaus *de Euchar. disput. 14. sect. 3. n. 44.* Et Suarez citato loco *sect. 5. §.*: *Nihilominus quaestionem versans: num possit Sacerdos, etsi non jejunos, missam celebrare, ut aegro in vitae discrimine constituto s. Eucharist. ministret, pervalide oppugnat sententiam asserentium, id ipsi licere ex dispensatione Episcopi: Non potest Episcopus dispensare, quia est praecipuum universale totius Ecclesiae et nulla auctoritate vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo. Per se autem non potest inferior in Lege Superioris dispensare.* Firmissimam in hanc regulam consentit Card. de Lugo *de Euchar. disp. 15. sect. 2. n. 55.* Haec ejus verba: *In hoc praecepto jejunii naturalis dispensare solus potest Papa. De facto autem neque Papa ipse dispensare solet; dignumque animadversione est praepositum verbum solet, innuens rariora esse similium dispensationum exempla, veluti scite expendit Tamburinus in *methodo expeditae communionis cap. 2. §. 8.**

Tertium, quandoquidem omnem dispensationem ex causa esse oportet, in proposita autem facti specie unica tantum viget ratio indulgendi pietati ac religioni Regis Brit. euchar. pane se frequenter reficientis, expendendum propterea est, an satis idonea haec causa sit, numve afferri possint vetera similium dispensationum exempla.

Ut facilior imploratae dispensationi fiat locus, posset quisquam ad disciplinam confugere quarundam Ecclesiarum Africae, in quibus Christifideles *fer. VI. Parasc. coenati s. sumebant Communione idque ex religioso cultu erga institutionem SS. Sacramenti a Chr. Jesu apostolis, postquam come-*

derant, distributi: Nonnullos probabilis quaedam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam coenam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri et accipi liceat Corpus et Sanguinem Domini. Verba sunt S. Augustini in *cit. ep. ad Januar. c. 7.* ad diu toleratam in occid. et orient. Ecclesiis praxim, cum scilicet post Baptisma communio ministrabatur infantibus, quibus matres vel nutrices etiam ante sumptam s. Euchar., eorum imbecillitatem commiserando, lac exhibere permittebantur; ad *ep. 125 s. Joa. Chrysostomi ad Cyriacum Episc.*, ubi Vir s. incusatus, quod communionem pasto cuidam ministrasset, his resp.: *Quod si mihi obstinata mente id objicere pergunt, Paulum etiam de dignitatis gradu deficiant, qui coenatus universam domum baptizavit; Domino item ipsi auctoritatem abrogent, qui apostolis post coenam Communionem dedit, ac denique ad celebre factum s. Udalrici Augustae Episcopi ad annum 978 haec leguntur: Iste Udalricus Ep. fecit prandium cum Conrado Constantiensi Episcopo et eodem die facto prandio celebravit missam cum clero et populo. De hoc accusatus resp.: Ego non comedi sed charitas.*

In nostro *Tract. de Synodo Dioec. noviss. ed. l. 6. c. 8. n. 4.* egimus de communione in nonnullis ecclesiis *fer. 5. in Coena D. ministrari solita etiam non jejunis deque eucharistia infantibus porrecta post baptismum; verum monumenta ista viam nihilo faciliorem ad id, quod proposuimus, efficiunt. Invectum quippe usum communicandi post comestionem *fer. 5. maj. hebd. proscrisperunt subinde PP. Synodi 3. Carth., quorum decreto congruit Can. 29. Conc. Trullani anno 692. Quod autem spectat ad Communionem pueris statim post baptis-**

mum ministratam, jam a quadringentis et amplius annis is ritus in occid. ecclesia obsolevit. Nonnulla quidem supersunt adhuc vestigia in Orient. ecclesia, at et ipsa quoque pedetentim et antea et nunc quoque temporis studuit ab eo deflectere, quemadmodum latius ostendimus in nostris literis ad Missionarios per Orientem typis editis anno 1755*).

S. Joann. Chrysost.***) haud probat communionem ministrari cuiquam non jejuno, inficiatur seu unquam porrexisse pasto; profitetur, si quid ejusmodi attentasset, dignum se, qui de Episcoporum catalogo atque fidelium electorumque libro expungatur, subinde vero superaddit ea, quae superius allata sunt de communione non jejunis a Christo exhibita. Facile intelligitur, haec quemdam animi impetum importare et argumentandi modum, quo utuntur plerique, qui post factum solide inficiatum ultra progressi non verentur ex falsa hypothese illud concedere, pugnantes tamen nullatenus exinde confici, quae adversarius inferre contendit. De s. Udalrico nihil plane addemus, cum pura putaque fabella sit istud, ut innuit Christ. Lupus in *notis ad Can. 29. Trullanum* et latius prosequitur Catalanus in *comment. ad eund. Canonem*.

Itaque cum ea, quae hucusque demonstrata est, via minus tuta reperitur, aliam inire opus est vetustis monumentis suffultam. In secreto Vaticano tabulario inter Brevia Pii IV. t. 18. n. 63. extat Breve ad preces Sebastiani Lusitaniae Regis relaxatum, in quo Sacerdotibus per Indias enunciati Regis dominio subjectas commorantibus, qui vel ob contractam aegritudinem vel coeli inclementiam post

*) Vd.: *Ritus Graec.* (Const. Bened. XIV. de die 26. Julii 1755.)

**) Bolland. in acta s. Joa. Chrysost.

noctem mediam aliquem sumunt cibum, fit facultas successive die Sacrum peragendi. Innoc. III. Romanorum Reginae Elisabethae Christinae concessit facultatem sumendi SSimum. etiam post aliquod degustatum cibum, quo die in Bohemiae Reginam ungi solemniter coronarique debebat, ita exposcente imbecilli ejusdem valetudine, quae tam diurnam functionem nullo recreata cibo perferre non potuisset. Simileque Indultum ab eodem Pontifice datum reperitur Regi Christianiss. regnanti, qui cum solemniter consecrationis suae die s. communionem sumere deberet eaque tunc esset aetate, in qua nondum obfirmata valetudine uteretur, justum ingesserat timorem, ne nullo praegustato cibo tam diurnae functioni non possit interesse. Perspectum denique est, quod quotannis fiat Romae in Pontificio sacello nocte Nativ. D.; in eodem quippe celebratur missa ante mediam noctem nec semper ab eo, qui praecedenti die ab omni cibo se abstinerit. Scribere nonnulli singulis annis concedendi a Pontifice dispensationis litteras; ab id a veritate aberrat. Verum cum Pontifici perspectum sit, qua hora celebretur missa, innolescat quoque haud semper esse jejunum, qui Sacrificium offert, nec tamen quidquam obloquatur nec quidquam statuat remque ita transigi sinat, locus fit tacitae cuidam dispensationi, quae tutam efficit conscientiam ejus, qui ea nocte missam celebrat non jejunus, uti a Nobis fuit pluribus demonstratum in *Tract. de Synodo Dioec. l. 6. c. 8. n. 13. etc.*

Exempla isthaec profecto proprius ad casum nostrum accedunt quam superius relata, verum nunc plane rem praesentem attingunt, cum nunc disserteratur de s. communionis participatione ex singulari religione ac pietate exoptata; proxime autem indicata exempla versentur circa Missae cele-

brationem vel sumptionem Eucharistiae, quodammodo necessarias, et quae praetermissae admirationem induxissent vel etiam offensionem. Facultatem fecit Pius IV. Sacerdotibus Indiarum celebrandi missam adhuc etiam post sumptum evoluta jam media nocte cibi aliquid vel potus; verum cum per eas regiones haud ita frequens esset Presbyterorum numerus, Sacerdos quilibet Sacrum singulis diebus offerre tenebatur. „Si eos remediis post mediam noctem uti contigerit, si urgentissima fuerit necessitas celebrandi ac paululum inde dormierint, nihilominus die sequenti celebrare libere et licite valeant, auctoritate ap. facultatem concedimus.

Facile quisquam animadvertit, quod, cum debeant Reges summiue Principes, quo consecrantur die, s. eucharistia refici, tum ut statutis regulis satisfaciant tum ut populis suo exemplo prae luceant, si cum iis dispensatur, ut SSimum. eo die sumant, licet quidpiam prius comederint, hanc tamen dispensationem minime pertinere ad privatam communionem sed ad publicam Eucharistiae sumptionem, cujus neglectus admirationem secum tulisset ac scandalum; eodemque ferme modo obtinere dici potest, quod relatum est de Sacrum faciente in Nocte Nativit. D. in Pontif. Sacello; cum nimis urgeat ne praedicta nocte s. functio in Pontificia Capella omittatur simulque haud ita facile sit adesse semper Cardinalem, qui non obstante aetate, quam plerumque agunt praedicta dignitate decorati, potens sit protrahere naturale jejunium a media nocte superiore ad alteram, in qua solemne offert Sacrificium. Accedit insuper in praxim omnino induci non posse, ut media nocte transacta constituatur initium missae, dum ipsi intersunt Cardinales, Archiep. et Episcopi, qui sequente die ad reliquas Pontificii Sa-

celli functiones adire debent, quod porro non praestant, nisi lecto jam privatis in sacellis suis oblatoque trino Sacrificio.

Unicum itaque exemplum privatae Communionis in vim obtentae facultatis eam sumendi adhuc etiam post refectionis aliquid degustatum, ita exposcentibus imbecillitate indigentiaque corporeae habitudinis in Carolo V. Imp. suppetit. Is secum ipse cogitavit constituitque de germanicis provinciis cedendis, uti contigit, Ferdinando fratri subinde etiam Imperatori, deque transferendis reliquis ditionibus in Philippum filium suum, tum se recepit in monasterium s. Justi Monachorum S. Hieronymi in Estremadura saepe sacram. confessione abstergens peccata sacramque communionem frequentans. Cumque pius Imperator SSimum. jejunus sumere nequiret, recursus habuit ad Julium III., qui eidem indulgit, ut in posterum etiam post sumptum exiguum aliquod jentaculum posse sumere s. communionem.

Ex secretiori Vaticano Archivo est Pontificium Breve tom. 70. n. 152.: *Exponi Nobis Tua Majestas fecit, se nonnunquam ratione suae valetudinis ita suadente et cogente diebus, quibus SSimum. sumere instituit, de medicorum consilio modicum jentaculum ad necessariam sustentationem ventriculi sumere ante consuevisse et Nobis, ut tam de praeterito veniam illi dare, quam in futurum secum super eo dispensare vellemus supplicavit.* En verba concessionis: *Quare Nos hujusmodi necessitatem tuam attendentes et tuae Majestatis pium sincerumque in cath. religione animus agnoscentes, te omni conscientiae scrupulo in Domino absolvimus atque ut in posterum post sumptum necessarium jentaculum SSimum. sumere possis, tecum indulgenter dispensamus.*

Quod Julius III. erga Carol. V. Imper. praestitit, idipsum et Nos agere intendimus, quin et peragimus cum Jacobo III. Magnae Britanniae Rege. Perspecta Nobis esse non potest imbecillis valetudo Caroli V., scimus equidem ipsum natum anno 1500, cumque datum fuerit Pont. Breve 1554, eundem non excessisse annum 54 aetatis suae. Quae patitur Britannicus Rex incommoda, sunt Nobis satis superque nota scimusque etiam eum agere annum 68. Ex animo credimus, quidquid scripsere Historici de pietate Caroli V.; perspecta Nobis fit singularis Regis Jacobi integritas vitae, pietas et religio, universae Urbi exemplo, cum ipsi simus horum oculati testes. Tu itaque, qui regium desiderium attulisti, munitius eidem eris Nos ipsi facultatem indulgere s. Eucharistiam sumendi consulto conscientiae suae moderatore, etsi post evolutam superioris noctis partem dimidiam valetudine ita exposcente exiguum aliquod jentaculum deglutiverit.

Datum Romae die 24. Mart. 1756.
(Bull. r. t. XIX. p. 211.)

7) Translatio.

Cum in Civitate Cremensi dies Festus S. Pantaleonis ex voto singulis annis cum jejunio die 10. Junii celebretur, cumque anno proximo venturo Jejunium diei festi praedicti incidat in feria 3. Dominicae Pentec; Episcopus praedictae Civitatis a S. R. C. humiliter exquisivit responderi: An tuto possit anno proximo in his circumstantiis omitti?

Et S. eadem R. C. censuit:

„Jejunium esse transferendum ad aliam diem ab Episcopo designandam, n. 3488 die 6. Septemb. 1698.

Apostolicum Indultum, quo apud Belgas contrahitur numerus festorum de praecepto simulque praescribitur, ut

jejunium vigiliae praecedentis, quando servandum est, servetur Sabbato ante dominicam, in qua festum illud exterius apud populum agitur, hoc incommodi non raro patitur, ut quum nihil fuerit quoad liturgiam immutatum consuetumque Horarum canonicarum ordinem eodem die, quo in choro solemniter celebratur festum et officium SS. ap. Petri et Pauli, eorundem sit servanda vigilia. Quum itaque jejunium minus solemnitati convenire censeatur, propterea SS. DD. N. Gregorio PP. XVI. enixe supplicavit Emus. Card. Archiep. Mechl. nomine etiam caeterorum Belgii Episcoporum, quatenus iis omnibus dioecibus aliud concedere dignaretur indultum, ut nimirum jejunium pervigilii festi eorundem apostolorum in posterum servari valeat IV. Cal. Jul., eadem scilicet die, qua antea servabatur.

S. S. de speciali gratia annuit solummodo juxta preces, quando Natalis ss. ap. Petri et Pauli incidit in Sabbatum. Caeteris vero annis servetur solitum juxta praecedens indultum. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 22. Sept. 1838.

Vd.: *Vigilia festor. jejun.* (praecipue decr. n. 3375.)

JESU TIBI SIT GLORIA etc.

Cum in Rubrica Breviarii tit. 20. de Hymnis num. 4 mandetur, ut in conclusionibus Hymnorum infra Octavas ibi notatas dicatur: *Jesu, tibi sit gloria etc.* etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur, nec aliud praeterea excipitur; quaeritur: Utrum in Vesperis Sabbati et in Officio Dominicae infra eas Octavas sit dicendum: *Jesu tibi sit gloria etc.*, an vero conclusio assignata Hymnis Sabbati et Dominicae?

S. eadem R. C., ad relatioem Emi. et Rmi. D. Card. Rubini censuit respondendum:

„Affirmative, dummodo Hymni sint ejusdem metri“.

Et ita declaravit. n. 3704 ad 4 die 23. Augusti 1704.

In Officio s. Hyacinthi c., Regni Poloniae principal. Patroni, quod celebratur ritu dupl. 1. cl. dominica infra octav. Assumpt. B. V. M. hymni ad Horas terminari debent: *Jesu tibi sit gloria etc.* n. 4259 ad 2 die 29. Movemb. 1755.

JESUS CHRISTUS.

Non permitti debet Fratribus Dominicanis, ut in salutatione angelica post verbum *Jesus* addant *Christus* sed omnino prohibendum esse. n. 1182 die 19. Novb. 1639.

In versiculo consueto de B. V. M. „Benedicta tu in etc.“ non licet addere „*Jesus*“. n. 1708 ad 2 die 20. Junii 1654.

Vd.: *Indulg.* (terram s. visitant. etc.); *Lytaniae de ss. Nom. Jesu; Rosarium. Confraternitas ss. Nomin. Jesu ap. prob.* vd.: Bullam Clem. PP. VIII. die 30. Jun. 1603. (Bull. r. t. III. p. 161); *Indulg.* (Regul. VI.); *SS. Nomen Jesu.*

S. IGNATIUS C.

a) Festi ritus.

Off. s. Ignatii c. sub ritu dupl. recitandum est ex decr. Clem. IX. die 11. Oct. 1667. (Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 251.)

De ejus Canonisat. et institutione festivitatis die 31. Julii

Vd.: Bullam Urbani VIII. de die 6. Aug. 1623. (Ibid. t. IV. p. 12.)

b) Indulgentia in ejus festo.

In festo s. Ignatii omnes et singuli utriusque sexus Christifideles vere

poenitentes et confessi ac s. communione refecti, qui aliquam ex ecclesiis Societ. Jesu ubique existentibus in s. Ignatii festo a I. vesp. usque ad occasum solis festivi diei singulis annis devote visitaverint et ad intent. S. S. oraverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem lucrari possunt. *Breve Gregorii XV.* de die 8. Jun. 1622; *Breve Alexd. VII.* de die 18. Jul. 1663. (Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 197 ed. Luxemb. 1727.)

Vd.: *Indulg.* (Monaster.)

S. ILDELPHONSUS.

Ad dubium: An Festum s. Ildelphonsi celebrari debeat a Congregatione Cassinensi sub ritu dupl. II. cl., prout celebratur a Congreg. Hispaniarum Vallisoletana mediante facultate S. C. de 22. Sept. 1674, extensa toti Congregationi Cassinensi de 24. Febr. 1680?

S. C. resp.: Off. s. Ildel. esse recitandum sub ritu dupl. dumtaxat juxta concessionem factam Congregationi Vallisol. n. 3561 ad 1 die 22. Maji 1700.

ILLEGITIMUS.

Vd.: *Spurius.*

IMAGO.

1) Beatae Mariae V.

a) Expositio

Vd.: *Imago Titul.* (in altari.)

Clericis regularibus, qui cum licentia Ordinarii in propria Ecclesia retro Altare majus exposuerunt Imaginem B. V. M. sub invocatione, ut vulgo dicitur, *della Madonna del buon successo*, esse permittendum nomen et locum et quoad habitum servandam esse constitutionem Urbani VIII. „Sa-